

Qualesopor fessisin gramine, qualeperæstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Prosperam et utilem apodemiam per Italiam
nostram Tibi auguror; et cum patriam tuam
reversus fueris, noli mei, hominis Tibi addictis-
simi, oblivisci; sed, etsi tam longe dissitum, ut
amare pergas, obsecro reverenter: menti enim
quolibet ire licet. Vale et me ama. Dabam Flo-
rentiæ VIII KL. Decembris anno Pub. Sal.
MDCCLXVII.



PRAESENTIA.

Quis ergo nos separabit?
neque mors neque vita ne-
que creatura alia poterit nos
separare.

Ad Rom. 8. VV. 35, 38, 39.

CARMEN I.

O ubinam es? Plus dimidio divellimur orbe
Atque mari immenso est meus a me avulsus A-
(lexis.

O ubinam es? Demens, inter suspiria, rursus
Ingemino. At nec respondet, neque me audit A-
(lexis.

5 Et perdolacrymas frustra, etsuspiria perdo.
Ergo abijsti, et me potuisti linqere solum
Crudelis! Sed nec fuit o! crudelis *Alexis,*
Nec potuit: nollens ille, atque invitus abivit.
Esto; abiit sed enim procul ille, avulsus et a me
(est.

10 Et neque in amplexus ruere, et nec junge-
(re dextram
Jam possum, nec saltem audire et reddere vocem.
Ad Solem plerunque amens convertor, et: O tu
Sol felix! Fortasse videt nunc te quoque *Alexis.*
Infelix infelicis solamen amoris!

15 Este mihi, et tu o sol, et coeli, et sidera
(testes:

Nunquam ego jam deinceps demens et stultus
(amabo

Mortalem, qui me invito a me possit abire.

O DEUS! O ubinam non est Tu? Numine com-
(ples

Cuncta tuo, Tu semper ades, tu semper ubique es.

20 Omnia cum possis; tamen ipse a me pro-
(cul esse

Non potes; atque etiam nolles etsi hoc quoque
(posses.

Nam memini, cum delicias *mecum esse* solebas
Ipse vocare tuas. Quanta indulgentia amoris!

Qui te amat, Alme DEUS, quando ad te flet-
(ve gemitve

25 Audis, et sanctas lacrymas, quas mittimus
(ad te

Excipis ipse manu omnipotente, sinuque recondis:
Et vel lacrymulæ sua confers præmia vili.

Arcanos etiam gemitus, quos necdum ego sensi
Præsentis (a) prior, et prævertis vota benignus.

30 Quis me, ó dulcis Amor, Deus alme, avellere
(possit

A te? circumstent me enses, sævæque secures,
Quæque alia in cædes cudit Mars impius arma:

Ridebo: non ista DEUM a me avellere possunt.
Conjurent imis excitæ ab sedibus umbrae

35 Tartaræ, pandat rabidus tria Cerberus ora,
Tisiphone intortos pro crinibus explicit angues,

Omnia Cocyti exsurgant crudelia monstra:
Ridebo: non ista DEUM a me avellere possunt.

(a) Praeparationem cordis eorum audivit auris tua.
Ps. 10. Secundum Hebraeos V. 17.

En fremit, et concussa suo prope cardine tellus
40 Excutitur, reboat, nutat tota, omnia susque
Deque ruunt, montes volvuntur, corrui orbis:
Interea et cœlum pavitantem fulminat orbem,
Aër inhorrescit tonitru, immensoque fragore,
Eripuere diem nubes; nox atra repente

45 Incubuit, lux, praeterquam dant fulmina,
(nulla est.

Ridebo: non ista DEUM a me avellere possunt.

Pallida mors en armata arcu, armataque falce
Irruit, et frendens, et inexorabilis, arcu
Me petit, et certam torquet, celeremque sagittam:

50 Ridebo placidus multum, irrideboque mor-
(tem:

Nam neque tu, mors saeva DEUM a me avelle-
(re possis.

Pigra venis, pigra et est tibi falx, pigraeque sa-
gittae.

O quoties te suspiravi, teque vocavi!

O bene, quod tandem venisti! Vincula rumpe

55 Corporis, ut possim tetro hoc e carcere
(missus,

Usque meum contemplari Dominumque Deum-
(que,

Et coram aspicere, et coram placidissimo amore
Usque frui, et Sanctos propiús bibere ebrius i-
(gnes.

Alme DEUS, solus tu me non deseris unquam

60 Nec procul es: nam si vivo, in te vivo, fruor-
(que

Lumine: si terrae pertaesus, sumpsero pennas,

Perque iter insuetum totas Maris arduus un-
das (a)

Tranaro; tua me manus, et tua dextera ducet: (b)
Si cœlos ascendo audax, descendove ad ima,

65 Ecce ades, atque ubivis dextram mihi por-
(gis amicam.

Denique si morior; non me ipsa in morte relin-
(quis:

Dimidium quandoque mei mors dividet a me,
Dividet, avelletque a mente superstite corpus;
Sed non te avellet, nec te a me dividet umquam.

70 O DEUS o! Nimium felix est qui te amat
(unum!

Quisquis es, ah! hominum jam hinc obliviscere
(amores:

Unus abesse nequit DEUS, et DEUS unus aman-
(dus.



(a) Ps. 138. VV. 9. 10.

(b) Ps. 138. VV. 9. 10.

BENEFICENTIA.

Cum ipse det omni-
bus vitam, et inspira-
tionem et omnia.

Act. 17. V. 25.

CARMEN II

Ergo meos (fateor tandem) malè perdidit amores.
Pœnitet ah! Quamquam mihi nec crudelis *Alexis*
Nec fuit ingratus: benè respondebat amori

Ut mos est hominum, felicem saepe vocabant
5 Qui procul usque meum contemplabantur
(amorem.

Ipsè ego conabar me fallere, et esse beatus
Ipsè mihi, et felix fortunatusque videri:
Nam quid plura velis quidve optes? Ardet *Alexis*,
Custus amor dulces flammæ alit, et te amat ille
10 Et te amat ille magis, quàm tu fortassis
(*Alexim*.

Haec ego: et interea tamen impatientia sisti
Pectore, rumpebant pectus suspiria multa,
Perque oculos fusus lacrymis dolor ibat obortis.
Nescio quos tristes in corde expertus hiatus,
Nescio quod vacuum grande, impatiensque re-
(pleri,

Flebam, nec poteram, quàmvis conarer, amorem
Solari ipse meum, meque ipse putare beatum.
Nempe hominem tandem, fuit hoc et crimen, a-
(mabam.

Tu DEUS, alme DEUS, solus tu dignus amari,
 20 Solus Tu humani cordis sincera voluptas.
 In te uno felix demum, placidusque quiescit
 Noster amor, totus quotus est tibi debitus uni.
 Caetera sunt miseri, et vacui ludibria amoris.
 Tu me solus amas. Nam quis Pulcherrime rerum
 25 Quis nisi tu me unquam, quis me, Te prae-
 (ter, amavit?

Tu sine me felix et eras, semperque fuisses;
 Alta ego, et horrenda nihili caligine mersus
 Totus eram; grandi mersum tu voce vocasti,
 Audivique tuam vocem, emersique vocatus
 30 E nihilo: hoc ego eram sine Te, semperque
 (fuissem.

Tu mihi quod vivo, quod sum, DEUS alme, de-
 (disti;
 Et das nunc: nisi enim tua me pia dextra teneret;
 Protinus in nihilum rursus revolutus abirem.

Quocumque aspicio, ecce tuis sunt omnia plena
 35 Muneribus: qui me involvit circumfluis aër
 Praesto est, et mitis se se pulmonibus infert,
 Sanguis ut inde novis auctus vitalibus auris
 Ire redire queat, facilisque subire meatus
 Angustos, quibus it subtus, circumque supraque.

40 Magnum jussisti Solem hunc mihi fundere
 (lucem:

Perque vices, veluti intentum ad mea commoda
 (nasci,

Atque mori, et tunc coelo alios accendier ignes,
 Qui mulcere oculos, possintque reduceresomnos.
 Quin subjecisti mihi Tu quae cuncta creasti: (a)

45 Idcirco et docilis supponit terga elephan-
 (tus.

(a) Ps. 8. v. 8.

Et se subdit equus mihi cervicemque reclinat:
 Et procumbit humi, et submittit cornus taurus:
 Me quoque ceu Dominum revereri, et vincla sub-
 (ire

Saevi ipsi didicere lupi, didicere leones.

50 Quin ad arena etiam tumidos Mare fran-
 gere fluctus (a)

Ipsae coegisti imperio, et praebere carinis
 Terga, atque ingentes ad littora volvere pisces,
 Esca mihi impliciti laqueis, verubusque futuri.

Terra mihi magna, et propria est domus: hanc
 (tua dextra

55 Condidit, et nullis nixam, fultamve colu-
 (mnis

Suspensam medio libravit in aere firmam.
 Arida erat: jussisti, et cogitur humidus aer
 In nubes, ingens coelo venit agmen aquarum;
 Nec cadit uno ictu, nec vortice, et impete caeco;

60 Sed quasi per cribrum, cunctando, atque
 (ordine multo

Funditur, et stillat guttatim e nubibus imber.
 Dein quae nuper aquae cecidere, et viscera ter-
 (rae

Intrarunt ima, et caveis latuere profundis,
 Bullire incipiunt, doctaeque repente subire

65 Ardua quaeque, scatent interdum in ver-
 tice montis:

Inde cadunt, fiunt ingentia flumina, et orbem
 Instar venarum amnes circumeuntquerigantque.

Undique luxurians ridet lætissima tellus
 Graminaque et frutices, viridantesque explicat
 (herbas.

(a) Job 38. V. 11.

70 Umbrosum arboribus caput est, ad side-
(ra surgunt
Flectuntque iratum Solem, Solemque morantur.
Erumpunt passim flores, et aromate multo
Turgentes, halant varios suavissimos odores.
Densantur passim, foetuque gravantur aristæ,
75 Messoresque vocant falcesque, atque hor-
rea poscunt.
Certatim erumpunt, pendent et ab arbore poma:
Mille exquisitos intus dulcesque sapes
Miscent, atque ultro assentantur odore, colore.
Nec satis hoc, ramos arbor quasi brachia tendit,
80 Utque mihi tradat pomis inclinat onustos.
Siquid avis rostro furtim libavit: et illa
Admonet equodnam possim jam carpere po-
(mum.
Rursus quidquid avis cantat dulcis, mihi cantat,
Nam nisi ego ad cantus avium sunt omnia surda.
85 Magna in se se; at parva tuæ hæc sunt mu-
nera dextrae
Omnipotentis, et en multo majora supersunt.
Debueras, nam peccavi, me trudere ad umbras
Pallentas umbras Erebi, flammæque tremendas.
Vinctus ubi, immensas immortalesque catenas
90 Mordendo, arderem, et nunquam consume-
(rer igne.
Justum erat, et merui. Tu Clementissime rerum,
Quid faceres? Neque enim fas impunita relinqui
Crimina. Debentur pœnæ, solvique necesse est.
O nova inauditi Divina industria amoris!
95 Quas ego debebam pœnas, Tu, corpore sum-
(pto
Factus homo, pro me ingrato indignissimo amari,

Exsolvis, pro meque manus in vincla dedisti:
Pro me verberibus, clavis, cruci, sanguine, spinis,
Qui solus poteras mea tu commissa piasti,
100 Et tandem exspirasti inter tormenta, la-
(tronesque
Attonito, et lugente, et ne quid tale videret
Sole repentinis caput obnubente tenebris.
Nec tamen his contentus adhuc, sub imagine
(panis
Exigui, involvens totum Te Hominemque DEUM
(que
105 Dissimulas Majestatem, quam non capit
(orbis,
Irrepisque cibi specie, et mea pectora tentas,
Sollicitusque meos urges, et quaeris amores.
Languet amore DEUS: succurrite, languet amo-
(re.
Discite jam tandem, Mortales, quid sit *amare*.
110 Si libet (ah miseri) vestros vos perdit
(amores;
Me DEUS unus amat, mihi et est DEUS unus
(amandus.



PATIENTIA.

Miserator et miserī-
cors Dominus; patiens
et multum misericors.

Ps. 144. v. 8.

CARMEN III.

Quis furor o! Jam flagitiorum pondere fessus
Nostrorum, se se male sustinet, et gemit orbis.

Per fas, atque nefas furit undique sæva cupido
Auri: molitur fraudes, incendia, furta,

5 Et quaquaversus laqueos et retia tendit:
Urit mortales amor, et malus ardor habendi:
Hoc unum volvunt homines noctesque diesque:
Et plerique aurum, tanquam DEUS esset, ado-
(rant.

Parte alia furiosa magis, magis improba sævit
10 Bruta Libido, sub ementito nomine *Amoris*.

Averto hinc oculos alio. Bella impia cerno,
Seminecesque viros nantes in sanguine multo
Inter equos, atque arma, et strata cadavera pas-
(sim:

Huc caput: illuc it truncum et sine nomine cor-
(pus:

15 Hic manus avulsa est; et adhuc audax ro-
(tat ensem.

Heu quorsum fugiam? Ibo domos, patriosque
(penates,

Cæde fatigatos oculos recreabo: videbo....
Quid? Cædes etiam, atque armis pejora venena.
Nusquam tuta fides: parat hic aconita noverca:

20 Hic struit insidias fratri soror; illic sorori:
Uxori conjux: nato pater; ille parenti.
Quin didicere ipsæ natorum sanguine matres
Fœdari, suametque effundere viscera ferro.
Et superesse malum, et scelus his crudelius ul-
(lum?

25 En dejecta oculos, vultus dejecta decoros,
Nuda pedes, trahitur manibus post terga revin-
(ctis

Relligio, portans immania vincula collo,
Inter clamores sceleratos: impia turba
It circum, captæ insultans, iteransque cachinnos.
30 Siccine? Et hæc ausa Impietas impune trium-
(phet?

O ubinam DEUS est? Ultiores Numinis este
Vos Montes, cadite: iratos Mare tu vomit fluctus,
Vosque catervatim obruite orbem, Fulmina,
(Flammæ.

Hæc ego; et interea has placidus ridet DEUS
(iras.

35 Exsurge o DEUS, ingemino, exsurge, ex-
(sereque ensem,

Exsurge o! Quare obdormis? (a) Dormire videtur.
Tanta DEO est Mansuetudo, Patientia tanta.

Sons, insons, juxta pluviis ac sole fruuntur,
(b)

Sol utrique oritur, ros et descendit utrique.

(a) Ps. 43. v. 23.

(b) Matth. 5. v. 45.

40 Atqui Sol radios ferrugine tingeret atra
Sontibus, et putri manarent sanguine nubes:
Hoc vetuit DEUS, et justas compescuit iras:
Tanta DEO est Mansuetudo, Patientia tanta!

Non hominum ritu Omnipotens irascitur. Ille
45 Quandocumque volet meritas infligere pœ-
(nas
Numquam illum reus effugiet, nusquamque la-
(tebit.

Arguit exiguas vires violentior ira;
Est, ubi majores vires, patientia maior.
Quanta erit ergo DEO bonitas? Patientia quanta?

50 Cunctatur, non vult, et cum jam plectere
(sontes
Cogitur, horrendos strepitus ciet ante, minatur,
Fulgurat, et vacuo tonitru sine fulmine terret.
Ostentat, vibrat gladium multumque diuque.

Plerumque ille tamen non utitur ense; sed arcu.
55 Tardior est, et propterea ipsi præplacet
(Arcus.

Sed tamen exhaustit pharetras, arcumque teten-
(dit,

Jamque videbaris tibimet periisse sagitta:
Terror is elicit gemitum, elicitque pudorem.

60 Pœnituit sceleris tandem te: elanguit Ar-
(cus

Omnipotens, atque imbelles cecidere sagittæ.
Tanta DEO est Mansuetudo, Clementia tanta!

Et tamen eluvione olim pessumdedit orbem:
Totas vorticibus flammaram absorbuisset urbes:

65 Aspectans retro mulier, Sal facta repente
(est:
Quadrupedem inter quadrupedes incedere Re-
(gem

Jussit, et immundas ad pastum quærere glandes.
Non ita nunc: silet usque DEUS: dormire vide-
(tur

Altius, ac olim, et major Patientia nunc est.
70 Scilicet ille DEUS nunc est, et non erat
(olim

Partus Virgineæ Matris, mitissimus Agnus:
Olim erat ipse Leo rugitu, iraque tremendus;
Non jam rugitus: dulces imitabitur Agnus
Balatus Matris, rugitus non dabit Agnus.

75 Iras dedidit; Puer est, et prorsus inermis
In Matris gremio pendens et ab ubere dormit:
Divina idcirco major Patientia nunc est.

Qui Leo terribilis quondam nunc mitior agnis
Agnus Divino, pro te, et me, sanguine fusso,

80 Sanguineas tandem mactatur Victima ad
(aras.

Ecce manu, DEUS, ad palum, confixus utraque
(est.

Non, ut erant olim, in manibus sunt arcus, et
(ensis;

Hærent infixi clavi, immani, atque profundo
Vulnere, et Omnipotens, clavis tribus, e cruce
(pendet.

85 Horret, et attonitum carmen silet ac silet
(orbis.

Divina interea major Patientia nunc est.



OMNIPOTENTIA.

Ipse dixit, et facta
sunt; ipse mandavit, et
creata sunt.

Ps. 148. v. 5.

CARMEN IV.

Principio cœlum et terram, verbo eruit uno (a)
E nihilo DEUS: et Nox ambitiosa tegebat
Omnia: Divinus vehebatur desuper undas
Spiritus; et segnis tellus, et maesta jacebat.

5 *Fiat lux* dixit facilis DEUS: illa repente
Risit, et e tenebris nitidum caput extulit alma,
Et videre illam, et pavidæ fugere tenebræ.
Cœlestes Genij, puræ sine corpore Mentēs,
(Si modo Sanctorum Sancta est doctrina Paren-
tum)

10 Tunc, una Mentēs illæ cum Luce creatæ.
Dein: Fiat cœlum, dixit DEUS, inter aquarum
Moles, quæ sursum fusæ sunt, quæque deorsum.
Dixit, et immensa explicuere volumina cœli
Inter aquas, hinc, inde alias, subtusque supra-
(que.

15 Quotquot aquæ sub cœlo estis, dixit DEUS,
(alveo

[a] Gen. 1. v. 1.

Gogite vos uno, atque appareat arida Tellus:
Continuo Mare subsidit, panduntur hiatus
Immensi, effosis caveis sine fine profundis,
Certant præcipites illuc descendere fluctus:

20 Extollit se se, atque undis subito eruta
(Tellus
Eminet; undique adhuc mœrens tamen, undique
(inanis.

Et DEUS: erumpat Tellus, herbasque virentes
Germinet, emittantque ipsæ sua semina secum:
Et tulit extemplo lætissima gramina Tellus

25 Frugesque, et secum sua semina quæque
(tulere.

Exstiterat vix e terra, et procera repente
Arbos, intumuit trunco, ramosque tetendit,
Fœtaque maturis facta est extempore pomis.

Et dixit DEUS: exoriantur Lumina magna
30 In cœlo, et certas nocti, certasque diei
Constituunt metas, sint et certissima signa,
Queis partiri homines possint et tempora et an-
(nos:

Illicet Astrorum Rex Sol prorupit, et illum
Nascentem stupuit tanta luce ebrius orbis.

35 Luna quoque obstupuit, totique obnoxia
(Soli

Admirans ipsum, luce alterna, ipsa refulsit:
Præsidet hæc Nocti; sed præsidet ille Diei.
Tunc et quinque alij cœlestibus orbibus ignes
Ab Sole accensi, taciti fulsere Planetæ

40 Mercuriusque, Venusque, et Mars, et Jup-
(piter altus,

Et Jove Saturnus toto cœlo altior ipso:
Diverso inter se se omnes, varioque colore.

Tunc quoque Siderae cœli ipso in vertice flam-
(mae

Innumerae erupere, nihil jam Solis egentes,
45 Nam totidem Magni sunt quot sunt sidera,
(Soles:

Utque super Terram lucerent, omnia facta.
Dixit item DEUS: e gremio nascantur aqua-
(rum

Reptantes Pisces, simul et genus omne volucrum:
Et subsultabant mox jam toto aequore Pisces,
50 Fluminibusque: et respirare, et vivere in
(undis

Edidicere ipsi. Contra emersere, et ab undis
Remigio alarum capita exseruere volucres,
Aëraque invitum sibi subjecere volatu,
Et surdum prius ac mutum fecere canorum.

55 Dixit item DEUS: e terra viventia bruta
Inlucem erumpant, quorum pars reperere tantum
Per terram; Pars quadrupedes incedere possint:
Nec mora, reprobant jam mox Animalia multa,
Multaque per campos cursu, saltuque micabant.

60 Illac agnoscens Leo, Regem se esse fera-
(rum,

Arduus incedit, rugituque imperat arvis.
Hac exultat equus, modoque huc, modo subsilit
(illuc,

Proflat et hinnitu toto ore, et naribus ignes.
Illac aëriae pendens in vertice rupis

65 Eminent, et propius cœlo infert cornua Cer-
(vus:

Hac illac pecudes saltant, luduntque per agros.
Tunc: Hominem faciamus ait DEUS almus, et
(ille

Sit similis Nobis, Nostrique simillima imago:
Sit Rex, et magno imperio premat omnia sub se,

70 Quaque patet toto late dominetur in orbe.
Cum volet ille, alas cogent, venientque vocatæ
E cœlo volucres, venient ad littora Pisces
Et dociles venient Tygres, venientque Leones
Auscultare Hominis mandata, facessere jussa:

75 Sponte illi fruges feret, et feret omnia tel-
lus.

Factus Homo, et suaves gemmabant undique
(flores,

Sponte Homini gravidas Tellus fundebat aristas,
Sponteque pendebant matura sub arbore poma.
Tygres ipsæ humiles veniebant lambere plantas
80 Blandi aderant Hominem cauda mulcere
(Leones,

Cumque jubebatur saltabat ab æquore Piscis,
Et jussæ; ultro etiam volucres, et sponte volabant,
Ludebantque humeros circum, circumque sede-
(bant,

Certatimque dabant dulces e gutture cantus.

85 Continuo ut voluit, verbo DEUS omnia fe-
(cit,

Omnia et aspiciens quae fecerat, ipse probavit.
Audisne? Hoc tandem, hoc demum est esse
(Omnipotentem,

Et cœlum, et terram, et demum facere omnia
(verbo.

